

P I S A

1 6 0 8




EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Hd. 11.



IV.

3 an 4



Disputatio
PHILOSOPHICA,
Continens quaestiones Logicas, Physicas,
& Politicas nobiliores,

Quam
DEO ANNVENTE

In inclytâ Academia VVittebergensi

SVB PRÆSIDIO

Clarissimi & Excellentissimi Viri
Dn.

M. IACOBI MARTINI

Logices Professoris Publici &
ordinarij.

Publicè discutiendam proponit.

Daniel Zangerus

VVittebergensis,

Ad IV. diem Martij, in auditorio majori, horis à
sextâ matutinis.

VVITTEBERGÆ,

Typis Cratonianis, per Ioh. Gorman.

ANNO M. DC. VIII.



Clarissimis & Excellentissimis VIRIS.

Dn.

M. ERASMO SCHMIDT,
Philosophicæ facultatis pro tempore Deca-
no spectatissimo, & Græcæ linguæ in Electorali
Academiâ V Vittebergensi Professor:
publico.

Dn.

MELCHIORI IÖSTELIO
Medicinæ Doctori & superiorum mathe-
matum in inclyta Academiâ V Vittebergensi Pro-
fessori Publico, & ordinario, Adfini suo
observando:

Dn.

M. HENRICO VELSTEINIO
Philosophiæ moralis in almâ Academiâ
V Vittebergensi Professori publico, Domino Præ-
ceptorum & Adfini suo
colendo:

*Dominis Mecænatibus, Fautoribus & Patro-
nis debito observantiæ cultu
colendis.*

Hanc συζήτησιν Philosophicam in animi
grati τιμήσιν

Offert & consecrat

Daniel Zangerus Wittebergensis R.



PROOEMIUM.



P *ῥῶς ἀπορεῖν ὡς δεξιὴ τῆ σοφίας*; rectè dubitare est tanquam initiū ipsius sapientiæ, verè dicit Philosophorum Coryphaeus Aristot. 3. Metaph. cap. 1. Ergò & nos, qui veritatem rerum, cū Budo latentem, eruere, & veram sapientiam nobis acquirere aſcupimus, rectè dubitemus, ne ex nobis solum pendere videamur; sed alios etiam, qui sunt iudicio limariore & acriore consulamus, & mutuâ cum illis sobriâq; συζητησὶς sententias conferamus, ex sententijs collatis, rationumq; momentis in utramq; partem studiosè perpensis, solidam tandem & accuratam rerum cognitionem, quanta quidem in hâc naturæ imbecillitate nobis contingere quit, hauriamus. Id quod, ut etiam hâc vice tentemus, ad publicum candidè iudicantium examen, Ζήτηματῶ. hac Logica, Physica, & Politica proponimus.

I.

Ζήτημα Logicum.

Utrum sit discrimen inter individuum & speciem specialissimam; an verò sint unum & idem?

Prius affirmamus, posterius negamus, ob sequentes rationes:

1. Quæ definitione differunt, idem non sunt:

Atqui individuum & species specialissima definitione differunt:

Ergò non sunt idem.

A 2

Minor

Minor probatur: Species enim specialissima est, quae de multis numero differentibus praedicatur in quid. Individuum vero tantum de uno particulari dicitur. Porphyri. cap. 3.

2. Omnis species logica est praedicabile:

Individuum non est praedicabile:

Ergo individuum non est species.

Major confirmatur ex Aristotele, Porphyrio & Philippo, qui speciem esse praedicabile concludunt omnes.

Minor hac ratione stabilitur: quia individua non possunt predicari nisi forte per accidens: In praedicabilibus vero ea spectatur praedicabilitas, quae cum universalitate conjuncta est, quaeque est naturae $\Phi\acute{o}\nu\omega$ per S E & scientifica, non quae magis $\Phi\acute{o}\nu\omega$ per accidens.

3. Omnis species sive subalterna, sive specialissima est naturae universalis:

Individuum non est naturae universale:

Ergo individuum non est species; & per consequens: nec species specialissima; cum sublato genere universalis, tollantur omnes species.

Major probatur; quia omnis species est praedicabile; praedicabilia autem definiendo Domino Philippo Melanchthone, sunt tituli vocabulorum communium, qui ostendunt, quae vocabula, quomodo de alijs praedicentur. Ergo omnis species est natura communis & universalis.

Minor ex Porphyrio & Dn. Philippo Melanchthone est manifesta, qui speciem inter praedicabilia numerant, individuum ex eorum consortio excludentes.

4. Si genus & species specialissima in eo differunt, quod hac de individuis tantum: illud etiam de speciebus praedicetur, species specialissima non erit individuum: quia idem non praedicatur de seipso: nisi in praedicatione identica, quae in arte usum habet nullum:

Atqui

Atqui genus & species specialissima in eo differunt, quòd
hac tantum de individuis, illud etiam de speciebus predicetur,
quod multirationibus probant Peripatetici:

Ergò individuum & species specialissima non possunt con-
fundi in Unum.

5. Si individua diversa, diversa sunt species, tunc diffe-
runt formis essentialibus, seu suis qualibet differentijs specificis;
nam quot sunt species tot sunt propriae & distinctae formae, secun-
dum Philosophum 5. Metaphys. cap. 10, & 10. Metaphys.
cap. 11.

Atqui individua diversa non differunt essentialibus for-
mis nec differentijs specificis:

Ergò individua diversa non sunt species diversa: & per con-
sequens nec species specialissima diversa.

Minor probatur 1. per deductionem ad absurdum: si enim individua specificis & essentialibus à se invicem distin-
guerentur formis, involveretur contradictio. Nam individua
non essent, quae pro individuis haberentur; quomodo enim quid
individuum potest esse, cum ab alio specie differat? ἀτοπov.
Regius libr. 1. Logices problem. 5. 2. Probatur exempli appo-
sitione, quia anima rationalis est communis & unica omnium
individuum hominum forma. Si jam individua seu ho-
mines singulares haberent formam propriam & peculiariter ab
anima rationali, forma hominis, distinctam, esset illa nobilior ipsa
anima rationali, quia quo forma specialior, eò nobilior, quò gene-
ralior, eò ignobilior.

6. Si individua essent species specialissima, alia species
specialissima esset Plato & alia Socrates:

Atqui aliam speciem non constituit Plato, nec aliam
Socrates: aliàs si Plato esset homo, Socrates homo non es-
set.

Ergò individua non sunt species specialissima. Conclusum igitur esto cum Porphyrio, cum Dn. Philippo, Regio & alijs Philosophis Sanioribus, individuum & speciem specialissimam omninò differre, & nequaquam confundi debere.

II.

Ζήτῃμα Logicum.

An trium figurarum, à divini judicij Philosopho Aristotele, & nobilibus peripateticis propositarum, numerus sufficiat, an verò adhuc danda sit quarta figura, cujus autorem Galenum faciunt?

Summus Aristoteles, ut firmà ratione, & solidis fundamentis nixus, primùm artem de syllogismo construendo invenit, ut patet ex lib. 2. Elench. sophist. cap. ultimo, Alexand. lib. 1. prior. Analyt. sect. 2. c. 3. Zabarella cap. 5. lib. de quartâ figurâ, atq; propterea varios, immò omnes argumentandi modos novit; ita neq; is, quem (ut vulgaris est opinio) Galenus quartam figuram inscripsit ipsi fuit incognitus: huius enim meminuit cap. 1. lib. 2. prior. Analyt. Zabarella cap. 8. logices lib. de quarta figurâ. Non igitur ex ignorantia, sed bono consilio, acriq; judicio quartam istam figuram ut supervacaneam, rejecit. Cum itaq; omne id, quod in scientia Philosophicâ, à Philosophi placitis est alienum, nobis meritò sit suspectum: contenti ternario figurarum syllogismorum numero, quartam, ut inutilem, supervacaneam & notam rejicimus.

Nam 1. Omnis syllogismus logica artificialis sit natura consentaneus, hoc est, quadret ad modum discurrendi naturalem, nec ad ver-

adversetur processui nostrae rationis naturali Averroes lib. 1. prior. Analyt. cap. 8. Zabarella cap. 8. lib. de quartâ figurâ.

Syllogismus autem quartæ figuræ non est naturæ consentaneus, sed contra naturæ ductum retrorsum vagatur.

Ergo syllogismus quartæ figuræ non est syllogismus logices artificialis.

Major probatur, quia Omne artificiale ad naturæ perfectionem constructum eidem conforme sit, necessarium est; si secus, errare faciet, & destruet, non perficiet naturam.

At qui syllogismus Logice artificialis est constructus & constitutus ad naturalem discurrendi vim perficiendam, uti omnis ars perficit naturam Aristoteles lib. 2. Physices c. 2. Piccolom. gradu 5. Philosophiæ moralis cap. 58.

Ergo syllogismus logice artificialis conformis sit naturali discurrendi facultati.

Minorem probamus ita:

Syllogismus, qui contrariatur principiis syllogisticis naturalibus, non est naturæ conformis aut consentaneus, quod nemo sanus inficias ibit:

Syllogismus autem quartæ figuræ contrariatur principiis syllogisticis naturalibus, quæ sunt, dictum de omni & dictum de nullo. Zabarella cap. 6. de quartâ figurâ syllogism.

Ergo syllogismus quartæ figuræ non est naturæ consentaneus.

Minor pro syllogismi probatur: quia dictum de omni & dictum de nullo principia syllogistica naturalia requirunt, ut subiectum sit subiectum, predicatum sit predicatum, medium sit medium, quæ singula retrò volvantur in quartâ figurâ Galeni. Nam in hac predicatum est, quod debebat esse subiectum, & subiectum est, quod debebat esse predicatum, & ita summum fit infimum, & infimum fit summum, medium sit extremum, superiore termino superius & inferiore inferius collocato. Quod ὀρθῶς λόγῳ repugnare nemo non videt.

II. Nullus

II. Nullus modus primæ figuræ Aristotelicæ & naturalis perversus & confusus est nova & peculiaris figuræ:

At qui quæ quarta figuræ dicitur Galeno, est modus primæ figuræ Aristotelicæ & naturalis perversus & confusus:

Ergò quæ quarta figuræ dicitur Galeno non est nova & peculiaris figuræ.

Major liquidò constat: quis enim modi alicuius primæ figuræ vel inversionem vel crypsin vel occultationem diceret statim esse figuram novam? ἀλλοῦ & esset.

Minor est etiam manifesta. Nam syllogismus, qui dicitur Galeno & eius affeclis figuræ quarta est in primo modo primæ figuræ Aristotelicæ & major tantum μετατίθησθαι in locum minoris trajecta est, ut illa revera sit minor, quam dicunt majorem & major, quam minorem; conclusionem, quam putant esse, illa est mediata, indirecta, & remota consecutio, artificialiter & machinatione quâdam deducta, ut cum Averroë ex l. i. prior Analyt. c. 8. adseverat doctissimus Zabarella cap. 8. lib. de quarta figurâ.

III. Si præter trium figurarum ad naturalem sanæ rationis discursum ab Aristotele per artem conformatarum conclusiones tres: quarta relinquatur nulla, nec quarta relinquatur Galeno figuræ.

At qui præter trium figurarum Aristotelicarum conclusiones tres: alia quarta non relinquatur:

Ergò nec quarta figuræ Galeni relinquatur.

Major probatur: quia, Deficiente eo, quod constituat figuram quartam, deficit ipsa quoque figuræ. Nam nullâ posita causa, nullus insequitur effectus.

At qui deficiente conclusione quartâ, deficit id quod quartam figuram constituat, nulla enim est figuræ, & nullius figuræ syllogismus, nisi habeat conclusionem, aut questionem, quam expositis præmissis concludat.

Ergo

Ergo deficiente conclusione quartâ, deficit quartâ quoq; figura.

Minor probatur: Si enim omnes conclusiones per syllogismum inferendæ: ut universalis affirmativa, universalis negativa, particularis affirmativa, particularis negativa, tribus figuris Aristoteleis concluduntur, nulla alia relinquatur concludenda. Nam præter has quatuor conclusiones non datur alia in universâ naturâ.

At verum prius: Ergo & posterius.

Minor probatur ἐπαγωγῶς: universalis enim affirmativa in Barbara primæ figuræ; universalis negativa in Celarent primæ, & Cesare & Camestres secundæ figuræ; particularis affirmativa in Darij primæ & Datisi atq; Darapti tertiæ figuræ; particularis negativa in Ferio primæ, & Festino ac Baroco secundæ; & Felapton & Ferison tertiæ figuræ concluduntur.

Esto igitur ἀναμφοτελής conclusum, quartam à Galeno contortam figuram in tantum prodesse discursui syllogistico, in quantum quinta rota curru addita prodest. Quod si fortè Adversarij contrâ contendant, medij termini dari quartam sedem, tot autem esse figuras, quot sunt medij termini sedes, ideoque esse etiam quartam figuram; itemq; quartæ figuræ competere definitionem syllogismi, eiusq; reductionem ad primam; relegendum ducimus, id omne fieri in quartâ figurâ per accidens. Nam per SE repugnat collatio medij in quartâ figurâ ὀρθῆ ἀναγωγῆς naturali, recto & genuino discursui; conclusio infertur secundariò & machinatione quâdam, vix cogitabili; reductio fit obliquè & vi coactâ contra naturam; quia syllogismus eiusmodi reducendus substantialem & naturalem perfectionem antè non habuit. Aristot. lib. 1. cap. 8. & in principio lib. 2. prior. Analyt. A ver. lib. 1. prior. cap. 8. Zabarella cap. 13. lib. de quartâ figurâ.

B

III, Ζήτημα

III.

Ζήτημα Physicum,

An verum perhibeatur Physicum axioma:
Natura nihil facit frustra?

Pro negativa sententia hæ videntur militare rationes.

1. *Quia natura non habet intellectum. Ergò nec certum habet finem sibi propositum, quem in agendo respiciat.*

2. *Quia talpæ oculis quidem sunt præditi, verura palpebris oclusis, ut nunquam ijs uti possint & mulæ uterum habent, cum tamen parere non possint.*

3. *Quia homines etiam nonnunquam ea cupiunt, quæ nunquam fieri, ne dum ipsi adipisci possunt.*

Verum hæc argumenta eius ponderis non sunt, ut à veritate nos avocent, ideoq; contrariam sententiam affirmativam potius teneamus ob sequentes rationes.

1. *Quod frustrà est, eò ipso non est; quod non est, non potest movere. Scalig. exerc. 61. sect. 1.*

Atqui natura est citrà omnem omninò dubitationis aleam. & est Ens agens, Arist. l. 2. post. Analyt. cap. 9. text. 8.

Ergò natura frustra non est & per consequens nec actio eius frustrà erit.

II. *Quod frustrà est finem non habet. Scalig. d. exerc. 61. sect. 7.*

Atqui natura finem habet & quicquid agit propter finem agit, Zabarella de naturalis scientiæ constit. cap. 12. Arist. lib. 2. de cælo cap. 8. text. 50. & cap. 11. text. 59.

Ergo non est frustrà, sed tendit & collimat ad finem.

III. *In quo omnia certo ordine fiunt, ita, ut priora posteriorum*

rum

rum gratia suscipiantur, illud non agit frustra, nec in eodem agentia sine fine agunt. Arist. 2. Phys. cap. 7.

Atqui in natura ita omnia fiunt, Arist. lib. 3. de cælo lib. 3. de anima lib. 2. Phys. cap. 5. lib. 5. Phys. lib. 2. de ortu & interitu lib. 1. de part. animal. cap. 11, nec quicquam absq; tali ordine natura meditata est vel effecit unquam. Scalig. exerc. 2.

Ergo natura non agit frustra nec frustra in eadem agentia agunt.

IV. Si natura in actionibus suis non respiceret ultimum aliquem finem, natura actiones vagarentur in infinitum, nihilq; esset, in quo acquiescerent.

Atqui à cursu & processu actionum in infinitum natura abhorret, aliàs enim nihil efficeret.

Ergo est aliquis natura & actionum ejus finis extremus.

V. Si natura ageret, ut nunquam assequeretur finem & Deus irritam creasset naturam & ipse per eam incerto ageret: Cuius enim nullus finis & nulla quies, eius & perfectio nulla. Scalig. exerc. 68. sect. 1. cuius nullus finis, per illud incerta actio.

Atqui Deum pro deliberato voluntatis sue aeternæ & sapientissimæ consilio irritam condidisse naturam, ne quidem citrà blasphemiam cogitari potest: tantum abest, ut etiã per eam vagè agere dicatur.

Ergo natura agit, ut assequatur finem, atq; hinc verissimum arguitur illud Philosophi. Deus & natura nihil faciunt frustra lib. 1. de cælo cap. 31. Et demum si quis opinabitur, naturam inconsulto quicquam agere, ridebitur ab Aristotele, explodetur à Platone, Galeni etiam jussu vapulabit. Scalig. exerc. 68. sect. 1.

Reijcimus igitur argumenta pro negativâ sententia tanquam natè ουβελήνους, καὶ natè σοφιστικὸν ἑὸν contorta: & primum γενησὶν respondemus ad omnia, distinguendum esse.

1. Inter id quod fit secundum consilium & intentionem, natura & inter effectus nature particulares: illud nuncquã fieri potest frustra; hi verò possunt aliquid frustra tentare, ob impedimentum aliarum causarum.

B 2

2. Inter

2. Inter finem, qui est in intentione & Dn. Philippo Melanchthoni dicitur causa finalis, & finem, qui est in executione; ille semper est conjunctus cum *ἡγεσία* & *αἰετός*, & propterea non est frustraneus; hic non item & aberrare potest. Aristoteles lib. 2. Post. cap. 11. 2. Physic. cap. 9.

3. Natura nihil facit frustra si loquamur de attinentibus ad species; at facit aliquid frustra si respiciamus ad attinentia ad individua: vel natura nihil facit frustra per se, sed ex eventu potest aliquid frustra fieri. Piccolom. gradu 8. virt. moralium cap. 44.

Deinde eidem ad singula & quidem:

Ad primum primo respondemus: quamvis natura proprie non consultet, non intelligat, nec cognoscat; tamen munere principij primi, eam mirabili modo dirigentis, evidentissime intelligit, & cognoscit, ut notat Piccolom. gradu 5. Philosophiæ moralis cap. 59. Et in hanc sententiam eleganter Lipsius: nonne, inquit, agunt singula, & tangunt certam aliquam metam seu finem? Atque nesciunt illam, nec à se eligunt.

Ad secundum respondemus: Quod attinet ad bruta & quidem primo ad talpas, licet oculos clausos habeant, consequens tamen est inconsequens: siquidem ipsis hoc maxime conducit, ut ejusmodi oculos habeant, 1. quia tenetur vivere sub terrâ, ubi nullus ob tenebras perpetuas oculorum usus. 2. ne aperti ledantur pulvere. Secundo quod mulas concernit uterum habentes, & tamen non parientes, fit hoc non sine ratione & fine certo.

Nam 1. hoc defectu natura utitur, ut hac ratione reddantur robustiores ad onera gestanda 2. distinguatur inter veras naturales species & inter monstra. Mulus & mula non sunt naturales species, sed natura monstra. Quid enim mulus aliud, quam equus & asinus imperfectus, nempe ejusmodi animal, in quo due distinctæ species monstrôsè sunt confusa, cujusque dispositionem vel potius confusionem, non tam natura, quam ars causatur, quæ suam peculiarem

liarem respicit finem. Aliàs naturaliter equus perfectus & asinus perfectus sibi similia generant.

Ad tertium respondemus distinguendum esse inter cupiditatem & appetitum naturalem & rationalem: ille nuncquam est frustra per SE: hic est vel cum electione & iterum non est vanus vel citrà electionem, & interdum potest esse vanus: Atq; de hoc argumentum concludit, non de naturâ, cuius hic est accidens.

IV.

Ζήτημα Phisicum.

Utrum aspectus fiat per intromissionem specierum visibilium, an per extramissionem radiorum visualium, quos vocant.

Ut acris inter doctos de modo visionis singulis temporibus fuit contentio, ita etiam varia variorum Philosophorum exstiterunt opiniones: Alij enim putant radios visivos exire ab oculo ad objectum visibile usq; & inde speciem referre ad oculum, ut visio fiat; Alij opinantur, radios visivos in medio illuminato aëre apprehendere ideam vel speciem, ex objecto visibili ortam & inde ad oculum ulterius advehere, ut eam oculus recipiat in se, & ita visio fiat: Alij autumant, simulacra quadam continuâ successione à corporibus & accidentibus effluere, qua oculis ad pulsa visionem efficiant. Alij arbitrantur, visionem fieri in superficie oculi, specie ad ipsam allatâ Scalig. exerc. 325. sect. 5. Zaberella lib. 2. de visu cap. 1. & sequentibus.

Nos verò, rejectis aliorum opinionibus, tanquàm falsis & absurdis, cum divino Præceptore Aristotele statuimus & concludimus; speciem ad oculum ire & intra pupillam recipi & judicari, ita tamen, ut ne species in tempore ad oculum transeat, sed oculo

aperto cū tū vū & in momento præstò fit. Pro quâ sententia acutissimus Scalig. etiam pugnat. exerc. 90. sect. 7. ex. 298. lect. 16. Exerc. 325. sect. 5. Zabarella lib. 2. de visu cap. 1. & seq. & alij. Rationes igitur pro hâc sententiâ & adversus alias opiniones militantes producimus sequentes.

1. Omnis sensus fit passione in organo, agente quodam principio forinsecus:

At qui visio est sensus.

Ergo visus fit passione in oculo, tanquam in organo agente forinsecus principio.

Maior probatur inductione omnium sensuum: Auditus enim fit adveniente sono ad aures, non exeunte ex iisdem: Odor fit aëre affecto ad nares adspirante, non ex iisdem exhalante: Res sapida moveatur ad linguam & palatum, si percipi debeat sapor: & sic consequenter Res adspectabilis veniat ad oculum & fiet visio.

2. Omne destruens visum in oculo est per accessum & ingressum aliunde, non enim est in sese.

At qui omnis excellentis objecti species destruit visum in oculo.

Ergo omnis excellentis objecti species est per ingressum in oculo. & per consequens visio fit in ipso oculo. Quod enim de speciebus objectorum excellentium verum est, de omnibus verum est: nulla namq; diversitatis ratio apparet.

3. Si qui humidiores habent oculos, objecta, quàm sunt, conspiciunt majora, visio fit per ingressum:

At qui antecedenti adstipulantur omnes Physici & probat id experientia, in senioribus, imprimis hydropicis: Ergo.

Connexio probatur: quia humiditas obstat, quò minus species directè ingrediatur, illamq; quasi diffluere facit.

4. Contra igitur si visio fiat per egressum radiorum ex oculo & recursum ad oculum, primò illud quod egreditur, aut erit incorporeum aut corporeum.

At neutrum. Ergo nihil egreditur, se aliquid ingreditur.

Minor

Minor probatur, quia: Si esset incorporeum, non perpetuo esset in oculo corporeo, nec ex oculis prodiret, sed ut oculo sublimius per suam entitatem esset & locum mutaret:

At nullum horum:

Ergo nec illud.

Si esset corporeum, fieret dimensionum penetratio & oculus exhauriretur. Absurdum. Deinde visio rei ultra aliquot miliaria distans non posset fieri in momento:

Atqui omnino fit in momento:

Ergo non egreditur, ut revertatur.

5. Si radij visorij apprehenderent speciem in medio illuminato aëre, aër potius videret, quam oculus vel oculus saltem à posteriore & successivè videret:

At non hoc. Ergo nec illud.

6. Si simulacra oculis aliunde adpulsa efficerent visionem
1. simulacra illa vel impellerent, vel subirent vel secarent aërem.

Atqui hac statuere est absurdum: Ergo. 2. Si simulacra efficerent visionem, tum etiam, quæ à tergo sita sunt, videremus.

Atqui hoc est contra naturam:

Ergo & illud.

Connexio probatur: quia simulacra illa volitantia, in gyrum subvecta, placidis auris ad pupillam hinc inde pervenirent. 3. Si simulacra à corporibus effluentia efficerent visionem, transversis & adversis ventis auferentur, ut vel nulla visio posset fieri eo ipso, quo fieri deberet. Scalig. exerc. 325. sect. 5.

7. Si visio fieret in superficie oculi, id omne videretur, quod apparet in oculi superficie.

At multa apparent in oculi superficie, quæ non videntur, ut vel imagines rerum à latere sitarum, vel in aëre volitantium & aliarum:

Ergo visio non fit in oculi superficie. Concludimus igitur cum summo Aristotele, acutissimo Scaligero, doctissimo Zabarella, species visiles oculo aperto è momento ad oculum ire, & intra illum recipi

&

& judicari, atq; sic visionem fieri in oculo per immissionem visibilium specierum.

V.

Ζήτημα Politicum.

An aliquis ortus ab exili familia, etiam si arte & virtute excellat, minori habeatur in precio apud conterraneos in patria, quàm apud peregrinos; & quare sic fieri soleat?

Fieri sic, ut viri arte & ingenio præstantes, si humilis sint ortus, in patriâ suâ præ alijs Sympatriotis, quantumvis hi eruditione leviter sint tincti, parum gratiæ mereantur, si non prorsus contemnantur, quos tamen peregrinis in oris alijs, virtutum amore instigati, ceu Deos quosdam admirantur, experientia, optima rerum magistra, suggerit. Sed *αὐτὸ αὐτῶν ἐδὲν ἐστὶ*. Ar. 2. Rhet. c. 22. *ἔμνησεν αὐτῶν τῶν γένετον* Plutar. de fato. Ideoq; libet inquirere, quas ob causas sic fiat? Et licet causarum huius rei in authenticorum scriptorum monumentis magna habeatur copia, nos tamen hæc vice quibusdam contenti, has sequentes judicamus præcipuas.

1. Causa, etiam juxta Theologorum sententiam, est, quod propterea viri donis illustribus insignes, & imprimis eximij Ecclesie Doctores in patriâ minus valeant; quia Sympatriotis, popularibus & cognatis noti sunt inde à pueritiâ, qui tanquam bruta pecora absq; rationis discretione, ordine & judicio nil quicquam illis præ se tribuere volunt, eò, quod olim familiariter inter eos versati fuerint. Et hoc est quod Christus Matth. 13. vers. 57. Marc. 6. v. 4. Lucæ 4. v. 24. Iohan. 4. v. 44. suis popularibus objecit.

2. Quia

2. Quia Sympatriotæ offenduntur externa personæ vilitate cuiusmodi præstantium virorum, ideoque ob externam tenuitatem intrinsecus reconditam virtutem & divina munera & dona respuunt.

3. Offenduntur vilitate familia, quasi propterea Ecclesia vel reipublica præesse & prodesse non possent, quia à parentibus naturalibus tales non procreati sunt, quales sese esse somniant, iudicantes ita de aliorum fortè nãvis, suorum interim obliuiscen-tes; id quod stultorum proprium esse probat Cicer. 2. Tusc. quæst.

4. In causa est detestanda Φιλανθία. Sicuti enim illorum, qui ex iisdem carceribus ad metam propositam anhelant, alter alterum ex invidiã turbare & impedire molitur: ita & in curriculo communis vitæ eorum aliqui, qui ex iisdem cunabulis progrediuntur, invidiã ferè rumpuntur, si ab ijs, quibus cum initio in pari fuerunt cursu, se vinci & superari intelligunt, atque ob id, quodcunq; possunt, obtendunt, & obijciunt ad eorum palmam vellendam & minuendam: ut rectè hic dicatur: virtutis comes invidia.

5. Quinta & præcipua causa est tyrannis ipsius cacodæmonis, dum illos, qui sibi suorum malefactorum & vitiorum sunt conscij, impellit, ut alijs præstantioribus & insignioribus viris insidiantur, & machinationibus suis noceant & impedimento sint, ne accrescat numerus eorum, qui prodesse possunt, & ita tandem in pejus ruant omnia. Nam cum ille sit perditus, vult omnes perditos esse. Et has atque alias ob causas plures, quarum longiori serie recitanda brevitatis amore nunc supersedemus, fieri solet, ut fama virorum bonorum & virtute præstantium, qui ab exili progressi sunt loco; sæpè in patria periclitetur.

VI.

Ζήτημα Politicum.

An studioso etiam sit perigrinandum?

Accidit interdum, ut homines inveniantur, qui tam abjecti

C

&

& servilis sunt animi, ut timeant in publicam lucem, publicumque conspectum ex domus suae ergastulo prodire: Ideoque ut intra privatos parietes ipsi segniter delitescunt, ita & alij, imprimis humanitatis studiosi, in quos forte incidunt ad externos proficiscendi desiderium adimere moliuntur. Contra quos nos contendimus; peregrinationes ad exteras & longinquas nationes imprimis virtutum & doctrinarum liberalium studiosis utiles & necessarias, esse, modo prudenter & consulto ab ipsis instituantur & justo tempore finiantur, & ad tales illos potius excitandos, quam ab iisdem arcendos esse statuimus; moti his sequentibus rationibus.

1. Quod ducit ad id, in quo consistit vita hominum liberalis, ad illud virtutum & doctrinarum liberalium studiosi potius sunt excitandi, quam ab eodem seducendi:

Atqui peregrinationes prudenti consilio instituta ducunt ad id, in quo vita consistit hominum liberalis:

Ergo ad tales peregrinationes studiosi virtutum potius sunt excitandi, quam ab iisdem seducendi.

Major propriae veritatis luce radiat. Si enim studiosi virtutum adimatur aditus ad id, quod ad virtutem ducit, frustra ad virtutem contendunt, nuncquam ad illam pervenient, liberales nuncquam fient; sed inani spe decepti deteriores evadent.

Minor probatur: quia bene & providè peregrinando indagamus artes, quae pedibus ad nos non ambulant, nec alis ad nos pervolant; viros invenimus peritos, & solidè doctos, à quibus recondita sapientiae mysteria nobis revelantur; promovemur ad scholas & Academias sublimiores, in quibus ipsa sapientia viget & floret: & ad alia pervenimus universa, à quibus est, & in quibus consistit vita verè liberalis.

2. Si artes, scientiae, & disciplina per totum terrarum orbem ex ordinatione Dei sunt disseminatae, non uno in loco semper haerere, sed ad diversa expaciari oportet studiosos artium & scientiarum divinarum:

Atqui

Atqui artes & scientiæ ac disciplina per totum orbem terrarum ab ipso Deo sunt dispersæ:

Ergo per orbem terrarum studiosis sunt inquirenda.

Minor probatur: modò enim in hoc loco puritas doctrinæ cælestis sanctè colitur: in illo legum & jurium majestas dominatur, in alio medicinæ dignitas celebratur, & sic deinceps aliæ artes alijs atq; alijs in locis vigent, in quibus volunt visitari.

III. Si viri magnanimi quolibet seculo peregrinationibus benè institutis summam sapientiam, divinos honores & sempiternam gloriam sibi acquisiverunt, quidni adhuc studiosi liberales ad eadem præstanda invitentur?

Antecedens probari abundè potest exemplis: Ulysses ultra decem annos Ithacam non vidit, at mores hominum multorum & urbes vidit. Homerus Odyss. 1. Socrates se mundi incolam & civem dixit; Cicero lib. 5. Tusc. quæst. Divinus Plato ad Nilum usq; in Ægyptum egressus maximam divinæ sapientiæ partem reportavit: Summus Aristoteles, Xenocrates, Theophrastus, Zeno, & alij semel patriæ suæ fines egressi, nunquam reverterunt: Cicer. lib. 5. Tusc. qu. Antonius Majoragius orat. 18. Cicero in Græciam est peregrinatus & Athenis Antiochum & Demetrium Syrum audivit, postea totam Asiam peragravit, & in eâ summis oratoribus similem operam dedit & rursus in Insulam Rhodum trajecit, ubi Molonem tertiâ vice audivit. Et id genus alia ex historicorum monumentis copiosissimè depromi possent:

Ergo nec hodie virtutum studiosis via ad peregrinandum intercludatur.

IV. Si homini & præsertim studioso liberali peregrè abeundi libertas interdiceretur, pati aliquid contra naturam cogeretur & bestijs esset inferior:

Atqui hoc esset inhumanum:

Ergo & illud tale esset futurum.

Connexio probatur.

C 2

1. Quia


1. *Quis vita hominis est perpetua in hoc mundo peregrinatio & ad cœlestem peregrinationem preparatio.*

2. *Quia animalia irrationalia motu libero & decursionibus suis gaudent, & delectantur, ut aves in aëre circumvolitant: Ciconia & hirundines abeunt & redeunt, fera in sylvis liberè oberrant, pisces in mari prolibitu natant. Homo igitur si perpetuò in patriâ tanquam in nido inclusus teneretur, pristinâ & naturali sua libertate spoliaretur.*

Quocircâ si qui opinati fuerint, ex peregrinationibus incommoda vel Ecclesie Dei & reipublica, vel hominum societati emergere, illi cogitent, quæsumus, nos cum de rerum conditione differimus, teneri considerare quid illis per SE non quid ex accidente & per usum rectum & legitimum, non depravatam competat: Peregrinationes enim cum sint per SE & in suo genere bonæ & licitæ, nemini nocebunt, modò rectè & in bonum finem & usum suscipiantur & absolvantur.

Atq; hæc Cyni præter Philosophicam publicam disquisitionem pro tempore subiecisse sufficiat.

F I N I S.



Fc 1249.
gn

ULB Halle

3

003 422 747



Bitte noch kein

Sammelbd. verwenden


nach Ausleihe


an Retro-Ecke

OK

Zurück!

VD 17





304 4



HICA,
icas, *Physicas*,
ores,

NTE
Vittebergensi
DIO
cissimi Viri

LARTINI
Publici &

roponit.
gerus

is,
io majori, boris à

G Æ,
oh. Gorman.
VIII.

